



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

CCXVII. Pius III. Anno Christi 1503. Maximiliani Regis 10.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

panis & vini consecratio est essentialis Eucharistiæ. Unde nec propter defectum alterius est unum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum, inquit S. Thomas 3. p. quæst. 74. art. 1. ad 2. quidquid in contrarium scripserint Gabriel Biel Lect. 84. in Canonem Missæ, & Joannes Major in 4. Sentent. Dist. 13. quæst. 3. necessarium non esse jure Divino, sed Ecclesiastico tantum, ut species utraque pariter consecretur. Quod quidem inaniter probant ex Cap. Comperimus Dist. 2. De Consecratione, cum Gelasius I. de Sacerdotibus ibi dicat: Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.

CCXVII.

PIUS III.

ANNO CHRISTI 1503.

MAXIMILIANI REGIS 10.

Pontifex in locum Alexandri VI.  
anno 1501. X. Kal. Octobr. lectus  
est Franciscus Tudeschinus Piccolomineus  
Car-

Rayn. an. 1503. Cardinalis Senensis. Avunculum habuit Pium II. Ejus propterea nomine appellari voluit, ejusque insignia usurpavit. (1) Vir erat doctrinâ admirabili, & prudentiâ singulari. Ecclesiam Romanam reformare, Concilium celebrare, ac in Turcas proficisci avunculi imitatione statuerat. (2) Sed aliter statutum Superis. A sexta enim & vicesima Pontificatûs luce, XV. Kal. Novembr. interiit vitiata tibiâ doloribus, anno ætatis quarto & sexagesimo.

## ANNOTATIONES.

(1) *Ab avunculo, cujus curâ à teneris annis omnibus disciplinis & juri in primis operam dederat, gentilitiis insignibus & Piccolomineorum familie nomine donatus. Panvinius in ejus vita pag. 278.*

(2) *Raphaël Volaterranus extremo libro 22. Anthropologiæ.*